



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. XII. Amorem sanctissimæ Humanitatis Christi, Deiparæ que Virginis, & reliquorum Cælituum nullo pacto adversari perfectæ charitati erga Deum: imò ex ea veriùs per necessariam derivationem ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54515)

ii. Minus tamen ad praxim conduceret, declaravisse, quoniam pacto amare propter DEUM res creatas oporteat, nisi explicaremus præterea, quænam ex illis amandæ, quæque non amandæ ab eo sint, qui perfectè amare DEUM studet. Hoc itaque exequi deinceps pergemus, ordientes ab iis, quarum amor minimè adversatur, imò affinis potius divino est, quâsque idcirco propter DEUM, & simul cum DEO amari opus est.

## CAPUT XII.

Amorem sanctissimæ Humanitatis, DEI paræ Virginis, & reliquorum Cælituum nullo pacto adversari perfectæ charitati erga DEUM: imò ex ea veriùs per necessariam derivationem profluere.



Mor cujusvis personæ, si vehemens, ac fervidus sit, nequaquam in ea tantum subsistit, sed ad cætera itèr omnia, quæ illi cognata sunt, atque amica, tanquam ad objectum secundarium se exporrigit. *Non solum probabile, (inquit Plato) sed penitus necessarium est,*



est, eum, qui ad aliquid amore afficitur, quidquid cognatum, & familiare est amato, diligere: (L. 6. de Rep.) Cujus dicti tot penè rationes possunt afferri, quot proprietates mutux inter amicos benevolentix, ac necessitudinis sunt. Et primò celeberrima vulgò est hujus proprietatis, indivisa rerum omnium, quæ possidentur, communio. Quare, cum inter bona, quæ homines possident, nihil sit amicis præstantius; arguere cum Theophrasto fas est, (Apud Plut. de Am. Frat.) *Si amicorum omnia sunt comania; communes debere esse amicorum amicos.* Præterea, teste Sallustio: *Idem velle, & idem nolle ad veram amicitiam requiritur.* Quomodo igitur amicus esse alicui dicatur, qui res, & personas ab eo amatas non amet? *Si amici, qui ejusdem amici. eo enim pacto eadem volunt.* (Ar. L. 2. Rhet. c. 4.) Denique nihil æquè innatum amori est, ac duos ita invicem jungere, ut ex utroque unum fiat. Neque hæc conjunctio, atque unitas intercedere cum quopiam potest, nisi etiam cum rebus, personisque intercedat, quibus cum ille per amorem jungitur, juxta receptissimum illud effatum: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se;* & hoc alterum Doctoris Angelici: (L. 1. c. Gent. c. 75.) *Qui amat*



*amat aliquid ratione ipsius, amat etiam omnia, in quibus id reperitur: ut, qui amat dulcedinem propter se, amat necessariò omnia dulcia. Quò etiam referri potest illa Christi Domini ad æternum Patrem pro amica inter suos sectatores unitate oratio: Rogo, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. (Joa. c. 17.)*

2. Hoc itaque extra controversiam posito, manifestè apparet, perfectum DEI amatorem non solum posse amare, verùm etiam fieri non posse, nè amet eos omnes, qui mutuo amore conjuncti cum eo sunt, quòsque D. Joannes testatur, in DEO commorari, eumque in se commorantem habere: (*Ep. 1. c. 4.*) *Qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo.* Quales nemini esse dubium potest, quin sint primò sacrosancta Servatoris nostri JESU Christi Humanitas, hypostaticè ab eo sibi conjuncta: secundò maxima ejusdem Parens Virgo, singulariter ab eo creatas inter omnes personas dilecta: tertio sancti Angeli, & reliqui Cælites, indissolubili perfectæ amicitiae nexu cum eo æternùm devincti. Quocirca neque ambigi potest, quin si DEUM ex toto corde diligimus, hos quoque adeò ipsi charos, & familia-



liares debeamus diligere, justum iis cultum præstantes, de felicissima eorum sorte gaudentes, curantesque ita conjuncti cum ipsis vivere, prout ipsi cum DEO copulantur. Præsertim quòd compertum habeamus, Domino id imprimis placere: qui cum disertè imperaverit, ut, quidquid in terra hominum est, diligamus, quamvis inter illos plurimi inimici ejus sint; quidni multò impensius hos diligi à nobis velit, quos sibi amicissimos esse, & nunquam non fore testatum palàm omnibus fecit? Neque alia defunt argumenta, quibus eadem veritas confirmetur adhuc validius. Confirmatur unanimi sanctorum hominum sensu, atque exemplo, qui ad perfectam cum DEO conjunctionem tendentes, peculiarem erga memoratos modò cæli Principes observantiam, amorémque habuère. Confirmatur itidem universali, ac perpetuo Ecclesiæ usu: quæ cum certissima credendi, vivendique sit norma, eosdem publicè venerari, & invocare à sui exordio semper consuevit, diris devovens, interque DEI hostes rejiciens, qui debitum prædictis ejus amicis cultum negaret. Confirmatur demum tot, tamque eximiis muneribus, quæ DEUS per eosdem largiri eorum suffragia implorantibus

bus



bus solet, demonstrans hoc pacto, pergratum sibi esse, ut, quos ipse amat, nos quoque simili amore, & omni officiorum genere prosequamur: quemadmodum rite animadversum est à D. Bernardo in sermone de Natali sanctissimæ DEI Parentis MARIÆ: ubi omnes hortatur, *ut totis medullis cordium, & totis præcordiorum affectibus* cælestem hanc Dominam ament, pro incitamento illius sic amandæ afferens divini Filii sui voluntatem: & hunc id velle arguens, quòd ipsam suæ totius erga nos liberalitatis administram constituerit: *quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per MARIAM.*

3. Ex hac tota dissertatione colligitur, quàm toto aberrarent cælo nuperi illi mysticæ vitæ Pseudomagistri, qui superioribus annis docebant, non debere hominem, cui perfecta animi puritas, & conjunctio cum Deo curæ est, amoris actus sive erga DEI param, sive erga ipsammet Christi Domini Humanitatem concipere, sed totam mentem, totumque animum in uno DEO amando occupare: ablegatis quibusque aliis affectibus, tanquam impedimentis purissimi illius, ac penitus divini amoris, in quo tota interioris vitæ summa ab iis ponebatur. Cæci profectò, & du-



ces cæcorum, justèque ideo ab Ecclesia non ferendi erroris damnati. Quamvis enim DEO uni totum vacare præstantius suapte natura actionis genus sit, quàm attentionis, & voluntatis partem excellentissimis cæteris qui objectis creatis tribuere, quique satis se idoneum experitur, ad totam usquequaque animam in unico, altissimòque illo objecto defigendam, consultissimè, ut dicimus, videatur facturus, si, quantumcunque liberi temporis habet, in solitaria, & abstracta illius contemplatione traducat; quotusquisque tamen haud videt, nullo modo fieri posse, ut quisquam mortalium per omnem suam vitam DEO uni adhæreat: & quamvis posset in eum ità absorptus continenter durare; æquū nihilominus, & rationi consentaneum fore, ut quandoque secundum vulgarem loquendi formulam, DEUM ipsum DEI causâ relinquat: hoc est, à secreta cum eo consuetudine ad exercitationem aliorum actuum ei placentium transeat, cujusmodi esse actus obsequii, & amoris erga familiarium suorum intimos vidimus? Certè verus DEI amor non alibi magis, quàm in una, eadèmq; cum eo voluntate consistit. Nonne igitur manifesta contradictio erit, censere, enixius nos DE-  
UM



UM amatuos, si à placito, & voluntate illius deflexerimus: renuendo videlicet quidquam præter ipsum amare, cum ipse, juxta D. Leonis testificationem, (*Serm. I. de Fei. Dec. Mens.*) *velit, ut non solùm ipsum, sed etiam quidquid diligit, diligamus?* Et quid tandem? Summàmne divinæ charitatis perfectionem solis posse nos assequi nostris studiis, & viribus credimus? Apage cum persuasione vanissima. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum* (si que aliud omne, hoc inprimis, adeò singulare, & eximium) *desursum est, descendens à Patre luminum.* (*Jac. c. 1.*) DEUS illud pro suo arbitratu largitur. Nisi ab eo impertitum nobis fuerit, irriti ad illud obtinendum quicunque conatus nostri erunt. At quidnam causæ potest ipsi esse, cur munus tam præcipuum concessum potiùs, quàm negatum velit, studentem se ad illud comparare, per omnimodam oblivionem, atque incuriam eorum cælestis aulæ suæ principum, quos tam impensè charos ipse habet, honoratque, & honorari, atque diligi ab omnibus gaudet? Næ intelligendum nobis est, DEUM, veluti ad majoris nostræ humilitatis exercitium, nequaquam vult per se ipsum, sed per alios potiùs vicarios sui homines in spiritali



via nos dirigere; sic etiã velle, ut demiffiore animo fimus, videntes opus nobis esse, non ipfi duntaxat supremo univerfitatis totius Domino, sed & ipsius famulis, atque amicis supplicare; pleraque beneficiorum fuorum folere, non tam ultro per feſe, quàm per hos, atque horum ſuffragatione impulſum largiri. Quapropter, ceu nimis ſuperbum ſe proderet, inque multis propterea non ſine gravi detrimento ſuo erraret, qui in ſpiritualis vitæ negotiis legitimi cujuſque præſidis ductum, gubernationemque negligeret, fatiſ ſe confidens poſſe, quid in re quavis factu optimum ſit, vel per ſuam naturalem prudentiam, vel per infuſum à DEO lumen dignoſcere, ità ſimilis arrogantia præſereret ſpecimen, ſuiſque mereretur votis fraudari, qui pro eorum ſcopo, atque fine perfectiſſimum amorem DEI habens, nulla ſibi ad ſui huiuſce finis aſſecutionem Cælituū patrocina conquireret, ſed illum ſolis propriæ indiſtriæ conatibus, & unius DEI benignitate ſe obtenturum ſperaret.

4. Summa igitur, & concluſio diſputationis ſit, neminem debere, quantumcunque in via interiori, & ſtudio contemplationis profecerit, ſacroſanctam Servatoris DEI  
Hu-



Humanitatem, integerrimam ejus Matrem Virginem, & reliquos Cælites oblivioni tradere, neque eorum memoriam, & venerationem intimæ cum DEO necessitudini adversam putare: sed D. potius Tereſiam, solidæ, ac frugiferæ contemplationis magistram audire: quæ cùm aliquando persuaderi ipsa quoque sibi passa esset, Christi Domini cogitationem, amorémque impedimentum homini afferre, nè ad summa enitatur perfectæ orationis fastigia; nequit non gravissimè, intimèque angere de sua hallucinatione tam fœda: *O meum bonum, exclamans, Jesu cruci affixe, nunquam recordatio animum subit, quòd ita olim senserim, quin mihi magnæ adversùm te proditionis, quanquam inscienter, rea videar. Itàne fieri potuit, mi Domine, ut vel obiter veniret mihi in mentem, impeditum à te iri meum majus bonum? & undenam mea quævis bona, nisi ex te profluxerunt? Nolo arbitrari, culpa verius, quàm errore ibi lapsam me esse. Nam alioqui nimio fletu obruerer. Ignoratio haud dubiè illa fuit: ideòque tua bonitas opportunè correctam voluit. (In Vit. c. 22.)*

5. Addo tamen, cùm magni hi cæli Principes coli, amarique à nobis queant, vel propriæ suæ, & supernaturalis excellentiæ cau-



causâ; vel DEI potiùs respectu, in quo omnis eorum dignitas posita est, quique illos & eximio in honore habet, & honorari ab omnibus vult; quemadmodum secunda hæc ratio nobilior suapte natura est, ita satiùs foret, si ea præcipuè uti curemus in pio, & religioso quovis actu, sive erga divos cæli Incolas, sive erga magnam DEI Matrem, majorémque ejus Filium, & nostræ assertorem salutis, Christum JESUM. Neque ulla metuendi est occasio, nè hac illos altiori de causa venerantes, aliquam iisdem videamur injuriam facere: cum certissimè constet, DEUM esse ultimum finem, cujus gratiâ res omnes existunt: neque posse quemquam injuriâ affici, quòd ob finem, propter quem factus est, diligatur. Præterquam quòd creata res quælibet, quantumcunque super alias emineat, si cum DEO comparetur, usque ad eò decrescit, ut non modò minimum quid, sed penè etiam nihilum possit videri: neque amari meretur, nisi infinitè minùs, quàm illius maximus Conditor. Quocirca nunquam potest per se ipsam tanta vi nos movere ad se amandam, quanta DEUS per amorem suum potest nos eò impellere: ac proinde utilius ipsi est, amandæ ipsius causam ab infinita Dei  
ama-



amabilitate, ac perfectione sumi, quàm si ex finita duntaxat ipsiusmet excellentia sumatur.

6. Sed multò adhuc minùs verendum est, nè illimet ipsi, quos DEI potiùs, quàm sui causâ honoramus, & diligimus, paulò ægriùs id ferant. Tum quia hujusmodi ratio, ut demonstratum est, níl injuriæ ipsis irrogat, imò potiùs ad majorem eorundem reverentiam, & amorem conducit: tum quia, prout D. Augustinus observat, cum neque nos ipsos prosequi amore debeamus, qui in nobis, tanquam in suo fine subsistat; nemo justam querendi habet causam, quòd à nobis ea diligatur ratione, qua jubemur nos ipsos diligere. (L. 1. de Doctr. Chr. c. 28.) *Si ergo te ipsum non propter te ipsum debes diligere, sed propter illud, ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est; non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter DEUM diligis. Hæc enim regula dilectionis divinitus est constituta: diliges proximum tuum sicut te ipsum: DEUM verò ex toto corde, ex tota mente, & ex tota anima:* tum denique, quia fidissimi illi DEI servi tantùm absunt ab indignè accipiendo, quòd respectu potiùs supermi sui Domini, quàm ob singularem suorum decorum præstantiam diligentur, ut non



non alia magis ratione diligere velint : cum ipsi quoque non tam suimet causâ , quam propter DEUM , unicum suorum quorumvis affectuum principium , ac finem se diligant. Audiatur de hac re unius ipsorum testificatio , beatæ nimirum Elisabeth : quam cum D. Gertrudis candidè aliquando , ingenuèque percontata esset : *Numquid Domina pro detrimento laudis tuæ deputas , quod ego cantando in tuo festo solummodo intendō illi , à quo tu cuncta , pro quibus laudaris , gratis accepisti , ad te quasi nullum habens respectum ?* Nequaquam , ô filia ! responderi sibi audiit : unò canens ita mente in DEO penitus fixa , *tantò suavius me demulces , quantò aliquem plùs delectat muscum instrumentum , quàm balatus ovium , & mugitus bo-um.* ( L. 4. Insin. c. 58. )

7. His præmissis , superest jam , ut paulò distinctius de peculiari cultu agamus , quem amor divinus cuius beatorum Cælituum jubet præstari. Primus ex omnibus sese offert Christus JESUS , DEI Filius , humanique totius generis Redemptor , & caput , dignissimus quibuscunque rebus creatis in cultu , & amore anteponi , vel secundùm humanæ suæ naturæ præstantiam , ratione intimi nexûs , quo ea cum Verbo divino conjungitur. Unde



de fit, ut, quemadmodum quæ propria DEI sunt, affirmari possunt de homine, quæque homini naturaliter competunt, DEO vicissim attribui; sic amor erga DEUM dici possit hujus hominis amor, amorque hujus hominis DEI amor vocari. Adde, quòd ille sit via, quæ ad DEUM nos perducit: (Joa. 14.) *Ego sum via*: Reconciliator veteris nostræ cum ipso amicitix: (Ad Rom. 5.) *Cum inimici essemus, reconciliati sumus DEO per mortem Filii ejus*: omnium, quæ cum ipso nobis intercedunt, negotiorum sequester: (1. ad Tim. c. 2.) *Unus Mediator DEI, & hominum, Homo Christus JESUS*: reparator cladum, quibus primi parentis culpa humanum genus afflixit: (Ad Ephes. c. 1.) *Proposuit instaurare omnia in Christo*: nostrarum in divino foro causarum patronus: (Ep. 1. Joa. c. 2.) *Advocatum habemus apud Patrem JESUM Christum*: Dux, & Magister. (Isa. c. 55.) *Dedi eum Duce[m], ac præceptorem gentibus*: Rex, atque Dominus. (Matth. c. 21.) *Ecce, Rex tuus venit tibi mansuetus, & Salvator*: Janua regni cælestis. (Joa. 10.) *Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur*. Quid plura? Medicus, Pastor, defensor, lux, salus, vita, omne bonum: (Ad Rom. 8.) *Omnia nobis cum ipso do-*

na



*navit.* Neque ullum est divinorum munerum genus, quod nobis nisi per illius merita tribuatur; aut interposito illius nomine postulatum negetur. *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* (Joa. c. 16.) Unde licet ad extremum ex D. Ambrosii verbis colligere: *Omnia igitur habemus in Christo, & omnia Christus est nobis.* (L. 6. Exam. c. 4.)

8. Cùm itaque & tam sublimis apud Deum illius dignitas sit, & tam multis nominibus nostra salus, & felicitas ex eo pendeat; æquissimum procul dubio, ut omnia ei, quæ possumus, observantiæ, atque amoris vectigalia pendamus. Eorum autem præcipua erunt: Primò in mente penitus figere, proque cælestis sapientiæ oraculis, & certissima vivendi regula habere, quidquid ipse mortali in vita agens Apostolos docuit, suisque dein in Evangeliiis ad perpetuam posteritatis totius institutionem consignatum reliquit. Secundò, ad sanctissimæ illius vitæ exemplar accuratissima imitatione nos fingere, & si quid ex toleratis ab eo olim ærumnis, opprobriis, ac doloribus pati contingat, gratulanter amplecti, hac in primis de causa, quòd per id genus quasi lineamenta illi similiores

eva



evadimus. Tertiò: amantissimas crebrò ,  
atque humillimas ei grates persolvere , pro  
incomparabili amore , quo nos prorsus im-  
merentes , malæque frugis servulos dignatus  
est , nè acerbissimam quidem subire pro no-  
bis mortem recusans , nihilque flagrantius  
expetens , quàm ut tam immensæ illius chari-  
tati aliquam rependamus , quibuslibet pro  
eo suscipiendis , & tolerandis laboribus vi-  
cem. Quartò: pati non posse irreligiosum  
contemptum , quo illius aris vulgò assistitur ,  
& quo sacrosanctum illius nomen in com-  
muni sermone usurpatur , nullique arti , in-  
dustriæ , & conatui parcere , ad eum debito  
in honore apud omnes ponendum. Quin-  
tò denique: omnem rerum nostrarum fiduci-  
am in eo constituere , & ad ipsum veluti ad  
benevolentissimum patrem , & amicorum fi-  
dissimum , quando aliqua necessitas , mole-  
stiave , aut periculum urget , opis gratiâ con-  
fugere : iis præsertim in locis , ubi ipse per  
Eucharistiæ Sacramentum præsens copiam  
se adeuntibus facit , vel cùm grande instaura-  
tur sacrificium , quod idem olim in ara crucis  
Sacerdos simul & victima pro nobis Patri ob-  
tulit: adeò ut nullum nobis longiusculum vi-  
deatur tempus , quod in his locis , & inter tam

U

fa-



facra mysteria traducimus : nec minori cum reverentiæ , amorisque , & fiducia sentu eum ibi alloquamur , quàm si extra siparium in suamet humana specie intueremur præsentem. Hæc tamen omnia religiosi cultus officia ita Christo Domino exhibere curemus , ut DEUM interim pro eorum principio , atque fine habeamus : qui divinum hunc hominem , & reliqua omni rerum creatarum universitate plus diligit ; & simili amore à nobis diligi vult , perque ipsum præcipue vitalem charitatis suæ spiritum impertiri hominibus solet : veluti per ipsius quoque merita eundem sacro Pentecostes die in Apostolorum corda profudit. Nec abs re erit , si ipsimet nostro Servatori disertè contestemur , potissimas ita eum venerandi , amandique causas à DEO nos mutuari , nostro nempe , & ipsius ultimo fine : certissime persuasum habentes , ingenuam ejusmodi confessionem neutiquam acceptum ab eo iri pro minore sui cultu : imò plus ei placituram , quàm si contestaremur , eum , quatenus homo est , sui unius respectu à nobis honorari , atque diligi. Quo enim pacto , cum nemo ex nobis ægre ferat , DEI potius , quàm sui causâ se amari , venire cuiquam in mentem possit , sanctissimam  
il-



illam animam, quæ ardentissimæ charitatis vi totam in DEUM se transfudit, neque se ipsam, nisi respectu illius amat, minus boni consulturam, si pro ultimo amandi illam fine non ipsam, sed DEUM habuerimus? Ah non ita credi jubet illud *via* nomen, quod paulò ante suum è terris decessum Christus sibi usurpavit: quasi innuere volens hoc pacto, ut observatum à D. Augustino est, quòd *nulla res in via tenere nos debeat: cum nec ipse Dominus, in quantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluerit, sed transire: nè rebus temporalibus, quamvis pro salute nostra susceptis, & gestis hæreamus infirmiter, sed per eas potius curramus alacriter, ut ad eum ipsum, qui nostram naturam à temporalibus liberavit, & collocavit ad dexteram Patris, provehi, & pervenire mereamur.* (De Doctr. Christ. L. 1. c. 34.)

9. Succedit Christo, alterum nostri cultus, atque amoris objectum, sanctissima Virgo illius Parens: creatas inter omnes personas DEO maximè accepta: utpote cui fecit magna, qui potens est: è cælesti nimirum sua sede in virginalem illius uterum ad humanam sumendam carnem delabens: eam omnium non hominum modò, sed & cælestium spirituum Imperatricem constituens: volens,



lens, ut quidquid munerum in reliquos mortales universos promanaturum deinceps ab immensa liberalitate sua erat, per illius manus transfret: majorique illam gratiæ suæ affluentia locupletans, hoc est plus unam diligens, quàm totam simul, quotquot futuri sunt, Electorum universitatem. Quare, qui DEUM ex toto corde amat, fieri non potest, quin simili affectu erga cælestem hanc Dominam flagret, quam videlicet singulariter adeo charam ei videt, quàmque quantò impensius diligit, tantò ei obsequitur magis.

10. Et multi quidem sunt colendæ illius modi, à flagrante complurium pietate excogitati, neque ita pridem à Petro Pinamontio in libellum collecti majoris pretii, quàm molis, qui *sacrum MARIÆ cor* nuncupatur. Eò itaque majoris copiæ studiosos ablegans, nè immodica minorum rituum varietate onerosus Lectorum pietati sum; nonnullos duntaxat ex magis necessariis proponam. Hujusmodi porrò videntur: primò, aliquem tum interioris reverentiæ actum edere, quoties illius vel imago occurrit, vel sacrum nomen auditur. Secundò, festos illius dies peculiari aliquo castigandi corporis, pietatiſque exercendæ studio honorare: nec non  
fin.



singulares illius prærogativas, quæ anniver-  
 saria religione tunc celebrantur, animo re-  
 putare, mirarique, & de illis gestire, ac gra-  
 tias DEO reddere, non secus ac si beneficia  
 essent nobis impertita. Tertiò: de illius  
 laudibus, ubicunque occasio se dederit, ma-  
 gnificè loqui, & omnes, quibuscum agimus,  
 ad tantæ Dominæ cultum, atque amorem,  
 quo possumus studio, excitare. Quartò:  
 certum aliquod obsequii, ac religionis pen-  
 sium definitum habere, quod singulis ei die-  
 bus persolvatur, idque cum intimo cordis af-  
 fectu, & recenti semper pietatis sensu, non  
 autem ex mera servandæ consuetudinis causâ.  
 Quintò: aliquam ejus imaginem in conclavi  
 habere, cui subinde, putà ad singulos horo-  
 logii pulsus, vel saltè, quoties indè foras  
 prodire, aut reverti eò contingit, piè nos  
 commendemus, & aliquod reverentiæ signũ  
 exhibeamus. Sextò: frequenter, cùmque  
 propria amantium filiorum, & servorum fi-  
 ducia ad misericordiæ illius aram confugere  
 orando, ut pro consueta, & familiari sua be-  
 nignitate tueatur nos in periculis, allevet à  
 mœroribus, dirigat in dubiis, roboret adver-  
 sùs difficultates, quòdque caput est, ulteriùs  
 semper, atque ulteriùs in perfectà cum Deo



conjunctione promoveat. Dicamus ergo illi ex intimis animi penetralibus: O admirabile artificis supremi opus! ô inter creatas omnes personas maximè illi dilecta! gratulamur sanè tibi de muneribus, quæ magnus hic noster, tuusque Dominus larga adeò in te manu profudit: suam esse Matrem, nostræ administram salutis, cæli, terrarumque Reginam, & suorum omnium dispensatricem munerum volens: quòdque plus est, tanto amoris sui æstu te incendens, quantus in nullo unquam beatorum spirituum, imò neque in iis omnibus simul sumptis flagravit. Unde immensò plus, quàm te ipsam, eum diligis: imò neque te ipsam potes nisi ejus causâ diligere: nihilque optas ardentius, quàm ut nostri itidem, & aliorum, quotquot, sunt mortaliū amores in eo, tanquam in communi suo centro, atque fine colligantur. O te æternis dignam laudibus! ob justam adeò ei, à quo in tantum evecta es, grati animi vicem. Nos quoque illius, & propterea tui etiam humiles servuli nequimus singulari amore non prosequi, quam eximiè adeò & à cælesti nostro Domino amatam, & amantem illius cernimus. Age igitur, ô Seraphinorum Regina! quandoquidem summus boni omnis lar-



gitor non modò te totam divino amore suo implevit ; sed ejusdem quoque in alios omnes dispertiendi ministrum constituit ; nè quæso illius partem nobis pauperculis dene- gatam velis , qui optatissimi hujusce muneris referendi causâ obsecrationes nostras ad pie- tatis tuæ solium deferimus. Et verò cur il- lud impertiri abnuas , cùm ità te animo com- paratam noverimus , ut quidvis impendii li- bentissimè subitura esses ; dummodo morta- les universi DEUM tuum æquè ac tu ama- rent ? Si nos , quorum cæteroquin frigida adeò charitas est , flagrantissimè tamen cupi- mus , eam longè , latèque in omnes homines diffundi , nullique cunctaremur pro virili no- stra parte illius copiam facere , non quærenti , imò etiam fastidienti , atque aspernanti ; quo- nam pacto fieri queat , ut eam tu communica- re omittas supplicabundis , & summa voto- rum contentione exposcentibus ? Ah non ità *Mater pulchræ dilectionis* , non ità. Sed beatif- simum divinæ charitatis ignem ampliùs us- que , ampliùsque in nobis augeto , ut DEUM optimum maximum , in quo totius amabili- tatis summa est , & cui , quidquid est amoris , debetur , *ex toto corde , ex tota mente , ex tota anima , & ex omnibus viribus nostris amemus.*

U 4

Quod



Quod si nihilominus tepidior, quàm velle-  
mus, nostra charitas fuerit, tu, ô Domina!  
quod ibi fervoris desiderabitur, supple: non  
tuo tantùm nomine, sed nostra etiam servo-  
rum tuorum vice illum amans.

II. Superest ad hujus officii complemen-  
tum, ut supremi Domini causâ eundem affe-  
ctum, & cultum ad reliquos itèm omnes cæ-  
lestis regis suæ Principes pro rata extendamus.  
Hi autem sunt primò quidem Angeli,  
intérque eos specialiter Seraphim, & quibus  
demandata à DEO est tum nostri, tum loco-  
rum, ubi degimus, cura: & secundò homi-  
nes ab heroica vivendi sanctitate ad illorum  
gloriæ confortium evecti: sed illi præcipuè,  
qui amoris divini præstantiâ eminuisse inter  
cæteros visi sunt, & quibuscum commune  
habemus seu nomen, seu solùm natale, seu  
instituti, seu professionis genus, & quorum  
lypsana religiosè apud nos asservantur, &  
quibus sacra erat dies, qua in lucem prodivi-  
mus, quosque ipsimet nobis Patronos nomi-  
natim delegimus. Curandum itaque est, ut  
erga hosce dulcem quemdam in animo fove-  
amus amoris, obsequiique sensum, tanquam  
erga intimos DEI familiares, quosque ipse &  
peculiariter diligit, & diligi itèm, honorari-  
que



que ab omnibus vult, gratias ipsi agentes pro excellentibus donis, quibus eos cumulavit, amicam eorum opem in rebus angustis, dubiisque implorantes: & studentes quoscunque etiam alios ad similem erga illos venerationem inducere. Præter hunc verò communem cultum, peculiaris, & proprius secundo nominatorum loco est, eorum templa, & mortales exuvias crebrò invisere: curare, ut eos in imaginibus suis præsentem domi habeamus: festiva cum gratulatione diem celebrare, quo ad immortalem superum vitam renati sunt: studiosa lectione libros terere, vel quos ipsi ad spiritualem posterorum institutionem scripsere, vel quibus præclara eorum gesta, egregiæque continentur virtutes: & has demum identidem respicere, tanquam exemplar sedula imitatione in nos transferendum. Omnia tamen propter DEUM, omnia ut gratam DEO rem faciamus, ut DEUM in servis suis honoremus, utque ad perfectum DEI amorem consequendum amicorum illius patrociniis juvemur.

